

MEDICI  
 INSIGNES  
 HUMANITATIS STUDIORVM  
 VINDICES

---

QVORVM DECADEM ALTERAM  
 VNA CVM  
 TRIGA THEOLOGORVM CELEBRIVM  
 VINDICVM HUMANITATIS PARITER EXIMIORVM  
 EXHIBET  
 AFFINI SVO HONORATISSIMO  
 VIRO MAXIME REVERENDO  
 THEODORO CRÜGERO  
 CHEMNICENSIVM SVPERINTENDENTI  
 VIGILANTISSIMO  
 DOCTORIS THEOLOGI GRADVM  
 IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
 ASCENDENTI  
 ACCLAMANS  
 VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS IVN  
 LITTERAR. HVMAN. STVD

---

DRESDAE D. V. IDVVM APRILIS A. R. S. CIO IO CC XXXVII

---

PRELO HARPETERIANO

THEOPHILUS  
HUMANI CORPORIS  
ANATOMIA

TRIGINTA TABULIS AENEIS  
PRAEFATIO

DE ANATOMIA  
MUSCULORUM

DE ANATOMIA  
ARTICULORUM

DE ANATOMIA  
VISCERUM

DE ANATOMIA  
VASCULORUM

DE ANATOMIA  
SISTEMATICA

INDEX





VIR MAXIME REVERENDE  
AFFINIS HONORATISSIME.

**N**Osti & comprobasti beneuole qualemcumque meum laborem, quem uires meas perichitandi causa ante hos aliquot menses susceperam. Spicilegium uidelicet quoddam in supplementum Tractatus Cel. BVRCKHARDI *de Medico grauissimo humanitatis studiorum uindice*, institueram, eiusdemque Decadem unam typis exscribendam commiseram. Cuius rei ansam tunc mihi praebebant honores Doctoris Medicinae, a Facultate Academiae Ienensis Medica Fratri meo germano solemniter concessi. Dabam enim eodem tempore horas nonnullas subsiduas Historiae litterariae, quod studium iam sua, qua gaudet amoenitate, me adeo cepit, ut idem adhuc tractem quotidie, & post artes liberales ceteras nullo tempore tractaturus sim remissus. Cum itaque monumenta huius Historiae Medicos mihi sisterent plures bonarum artium omnino Vindices, hoc autem caractere nondum insignitos, concedas mihi, VIR MAXIME REVERENDE, ut telam inceptam pertexere etiamnum pergam, cum amoris & mei erga TE studii specimen in praesentia edere, partes meae utique sint. Prius uero quam Vindices nostros in conspectum produco, liceat paucis disquirere de causis, ut suspicor, omnium praecipuis, cur & in BVRCKHARDI commentatione & in meo spicilegio Vindicum antiquiorum maior existat numerus, recentiorum exilior.

Si statum reipublicae litterariae Seculi XVI. & sequentis in Germania solummodo respicimus, Medicorum haud pauci, ut stellae primae magnitudinis inter eruditos, Philologos (α) & Philosophos (β) eminuerunt, imo minime infuetum erat, ut iidem clauum scholarum celebrium tenerent, (γ) & praeceptores existerent felicissimi praestantissimorum discipulorum. Quo propius uero ad nostra tempora accedimus, (δ) eo magis numerum eorundem imminutum & admodum exiguum animaduertimus. Non ultima sine dubio huius decrementi causa erit amor erga studia elegantiora iterum consenscentia subinde algescens, quandoquidem mortalibus plerumque nouitas tantummodo grata est, secundum illud OVIDII,

Est quoque cunctarum nouitas gratissima rerum.

Tepidi cum ita fierent eruditi in cultura optimarum artium, non uerebantur cursum studiorum per saltum finire, & nimis cito ad altiora, quae dicuntur, transilire. Cui malo deinceps opem ferebat tetra quaedam negligentia, qua plurimi parum allaborabant, uerum sibi de

oeco-

- (α) Quos inter praecipui sunt, IANVS CORNARIVS, IO. LANGIUS, IOD. WILLICHIUS, CONRADVS GESNERVS, MATTH. DRESSERVS, IO. PINCIER, THOMAS REINESIUS, HERM. CONRINGIUS, ANDR. RIVINVS, IO. HENR. MEIBOMIUS, VALENT. HENRICVS VOGLERVS & FRID. SCHRADERVS.
- (β) Quem enim praeterit, quanti ex multis aliis extiterint Philosophi Medici, IAC. SCHEGGIUS, DAN. SENNERTVS & IO. SPERLINGIUS, quorum postremi fanioris Philosophiae naturalis restitutores laudantur. Medicos Poetas in pecul. Diss. exhibet THOMAS BARTHOLINVS, Hafniae, A. c. b. loc. LX. X. impressa.
- (γ) Scholis praesuerunt Medici, CHRISTOPH. SCHILLINGIUS e schola MELANCHTHONIS scholae Hirschbergenfis, deinde Gymn. Amberg. & tandem Paedagogii Heidelbergensis Rector, IO. SCHROETERVS, R. scholae Prouincialis Viennensis, BALTHASAR SCHVTZIUS, R. Gymn. Colberg. ANDR. RIVINVS, R. Gymn. Northuf. & IO. LANGIUS, NIC. LEONICENI discipulus, quamuis non Rector scholae cuiusdam felix tamen Praeceptor fuit IOACH. CAMERARIUS.
- (δ) Conqueritur iam de inualecente litterarum contemptu CASP. HOFFMANNVS, Medicus sub initium Seculi XVII. arte & facundia insignis, ideoque Cel. BVCKHARDO multis nominibus laudatus, cuius uerba h. l. in testimonium uoco: *Nunc eo res rediit, ut contemptu iaceant & frigeant bonarum artium studia, & disciplinae reip. utiles uelut ex alto despiciantur, ita, ut apud summos pariter & imos eruditi nomen propemodum inuisum sit, uid. eiusd. Siluula Orat. de Barbarie imminente.*

oeconomia tam Systematis eruditionis in uniuersum, quam etiam partium singularum inter se & cum toto ratione & connexione, conceptum formare. Quem naeuum omnes fere & singuli recentiores de impedimenti uerae eruditionis commentantes grauius iam pridem notarunt. Inprimis uero operae pretium duxit Cel. SCHMEIZELIVS in programme Inaugurali Ienae edito (e) huic malo medelam afferre, & Professionem tunc in Athenaeo Salano suscipiens, ciuibus Academiae studium uniuersae eruditionis encyclopaediacum ualde commendare, ipsisque hoc in negotio se ducem offerre. Cui si omnes & singuli studiis additi in posterum morem gererent, nec tantummodo studia, per quae uictum & amicum largire (z) sibi acquirere possunt, (uulgo die *Brod-Studia*) penitus neglectis ceteris partibus eruditionis, dies noctesque sectarentur, non dubito fore, quin felix ille status reipublicae litterariae tandem redeat, in quo tam Medici, quam Iurisconsulti, Philosophi & Theologi nequaquam detrectarunt, elegantiores litteras tanquam praestantissima adiumenta suae quique artis & scientiae, studiose

A 3

colere,

- (e) Insertum hoc programma legitur in Auctoris Versuch zu einer Historie der Gelehrtheit, Ienae, an. 1728. edito. Qui liber ex iudicio Cel. HEVMANNI in Conspetu Reip. Litter. p. 25. & KOECHERI in Introductione Struuiana, p. 130. maiori iure *Introductio in Eruditionem & studium Encyclopaedias*, inscribendus esset.

Praelust igitur modo dictum Programma operi maiori, quod in Tentamine illo Historiae Litterariae cum orbe litterato communicauit, & in eo primus primum, huc dum maxime desideratum Historiae Eruditionis Compendium tam felici successu tradidit, ut arbitro eodem HEVMANNO hoc labore de omnibus, sapienter ac prudenter tractaturis litteras, optime meruerit. Quare, cum hoc instigatore, additaque commendatione eius, cuius ductu iam litteris operer, studiose hunc librum perlegerim, de utilitate eius edoctus, non potui mihi temperare, quin eundem post EDM. RICHERI Obstetricem animorum, ducem & facem studior. meor. elegerim.

- (z) Eruditus sapientiae studiosus paucis contentus, cum auaritia pestis Reipublicae & teste CICERONE uitium turpe non modo, sed etiam sceleratum & nefarium sit. Pestimae itaque famae notam sibi inuulsi HIERONYMVS CARDANVS, de quo PIRCKMANNVS in suo itinere refert, quod cum uenisset ad CARDANVM & ipsum nomine PAVLLI GVIDELDI, Clarissimi Medici, salutare uoluisset, ille statim ex eo quaesiuisset, nam pecunias afferret. Vbi respondit negando, sed salutem, tum ille, sibi nihil esse negotii cum Transalpinis, dixit, se esse CARDANVM & neminem curare, nisi, qui pecunia instructus ueniret. conf. FRID. BOLZII Diss. de causis iacturae Rei litterariae sub praesidio Illustris BERGERI Vitemb. 1717. habita, p. 103.

colere, augere & ornare. Quo rariores autem facti Vindices eiusmodi, eo cariores nobis merito habendi sunt, & digni, quorum merita seorsim enumerentur, atque memoria perenni afferentur.

Priori Decade recensui antiquiores, CONSTANTINVM AFRICANVM, PHILIPPVM BEROALDVM, VICTOREM TRINCAVELLAM, IOANNEM BAPTISTAM MONTANVM, IACOBVM SCHEGKIVM, ANVTIVM FOESIVM & THEODORVM ZVINGERVM, recentiores, ADAMVM BRENDELIVM, DANIELEM VVILHELMVM TRILLERVM, & IOANNEM HENRICVM SCHVLTZIUM, sic ordine chronologico se inuicem sequentes. Quibus eodem ordine hac vice adiiciantur decem alii, utpote

FRANCISCVS RABELAIS, Medicus cognitione linguarum plurimarum, meritis in ordinem Medicorum Montis Pessulani & facetiis uariis clarus. Vitam ille orsus est A. 1477. Caini, urbe non ignobili, Tractus Turonensis, Regis Galliarum CAROLI VII. olim sede. Calluit praeter sermonem patrium, linguam latinam, graecam, ebraicam, Arabicam, Italicam, Hispanicam & Belgicam. Praecipue autem litteris graecis ita tinctus erat, ut ideo a GVILIELMO BVDAEO, in Epistola quadam graeca singulari Encomio ornatus legatur. Aliis praeterea audit celebris Grammaticus, Poëta & Philosophus, itemque rerum ad statum regni pertinentium admodum peritus. In Monte Pessulano, ubi arti salutari operam dedit, & Medicinae Doctor creatus est, edidit Aphorismos Hippocratis latinitati donatos, & postea alibi Epistolas latino & Gallico Idiomate conscriptas, quarum nonnullas SAMMARTHANI dignas iudicarunt, quas notis illustrarent. Parisiis A. 1553. diem supremum obiit. Vitae eius uberior Historia Floreto Philosophico inserta est.

ALBANVS THORINVS, Professor Medicinae Basileensis, aliis Thorer dictus. Natus is est VVinterthurii in Heluetia A. 1489. & studiorum principium capessuit Basileae, cumque litteras ibidem summo studio atque cura didicisset, caractere Magistri artium liberalium ornatus est. Linguae latinae & graecae tantam sibi notitiam comparauit, ut easdem aliquam diu in ludo litterario ad St. PETRI Basileensi doceret. E Schola deinde egressus ornauit Auditoria Academiae eiusdem

dem loci, & in iisdem Rhetoricae praecepta tradidit. Quo munere cum per aliquod temporis spatium functus esset, in Galliam tandem abiit, & studio Medico se dicavit, in quo etiam Gradum Doctoris asscutus est. Euulgavit SORANVM EPHESIVM, ORIBASIVM, PLINIVM, APVLEIVM & ANTONII MVSÆ libr. de Betonica. Primus quoque PAVLLI AEGINETAE Scripta ex idiomate graeco in latinum transtulit. De uita decessit A. 1550. Adeatur ADAMI in Vitis Medicorum German.

POMPONIVS GAVRICVS, Gifani in Regno Neapolitano in lucem editus est. Antiquitatum hic uir optime erat peritus & in sermone latino ligato insigniter exercitatus, quare ei ab eruditis locus inter celebres Poetas concessus est. Multis equidem scriptis rempublicam litterariam non iuuit, bene tamen perpolita sunt, quae reliquit Bucolica. Quibus addi merentur eiusdem libri de Sculptura ueteri, de Arte poetica, & de Vitis Poetarum graecorum. Extremum uitae spiritum edidit A. 1543. cum Surrento Stabiam uersus iter transmarinum faceret, & uaria de eius morte circumferuntur, quae tamen omnia nullo firmo stant talo. Vid. *das allgemeine Historische Lexicon*.

IOANNES FERNELIVS, Medicorum alter Cicero & elegantiae, qua Celsus celebris factus est, parum cedens. Introiuit in uitam 1506. Ambiani, Piccardiae Metropoli. In cultura litterarum elegantiorum totus erat, & lectiōi Scriptorum CICERONIS, PLATONIS & ARISTOTELIS postposuit omnes, quas modo habet & ei obtulit mundus, delicias. Libri eius editi ab eruditis suae aetatis in magno pretio habebantur, & FERNELIO adhuc uiuente plurimarum Academicarum Doctorum Methodum in ipsius scriptis traditam sequebantur. Medicinae Doctor Parisiis creatus & Archiater Regis Galliarum HENRICI II. factus, artem suam secunda fortuna exercuit, & uitam finiuit 1558. Adeatur *das allgemeine Historische Lexicon*.

IOANNES SCHROETERVS, Gentis Nobilissimae Schroeterianae, quae hodie Dresdae floret, auctor. Vir subacti iudicii & inter Medicos de humanitatis ceterisque studiis optime meritos facile principem locum occupans. In lucem susceptus est Vinariae clo 10 XIII. Patrem nactus PETRVM SCHROETERVM, consulem illius urbis. Discendi initium

initium fecit in schola patria, & liberalibus artibus bene instructus Vittembergae ad altiora studia adspirauit. Quam Academiam aliquam diu relinquens & Vindobonam aequae ac Oenipontem accedens, uocatus est Rector scholae Monasterii Stamfensis in comitatu Tirolensi. Sed schola haec SCHROETERVM non capiebat, qui illi ualedicens repetiit Vittembergam, & ibi in Medicina & Matheli profecit. Industriae ut ealcar adderet Philosophorum ordo, imposuit ipsi lauream Philosophicam. Quo honore cum auctus esset, Rectoris munus scholae Prouincialis Vindobonensis ei demandatum est, cui per triennium magno cum studio praefuit. Nec uero haec schola ipsum detinere potuit, quin eam desereret, & se conferret Patauium, ut ibi Medicinam exerceret. Nihilo tamen fecius Vindobona grata erga SCHROETERVM eiusque merita tradidit illi honores summos in arte Medica, & ipse tunc Rex Romanus FERDINANDVS illum postea dignum habuit, cuius consiliis in restauranda Academia Vindobonensi uteretur. Quam operam etiam praestitit IOANNI FRIDERICO Electori Saxoniae, qui eodem tempore meditabatur Academiam Ienensem. Voluntati enim & dicto Electoris parens, uenit Ienam, ibique Academiam ordinauit atque inaugurauit, & eiusdem primus Rector (7) ac Professor Medicinae extitit. Caesar tandem illum nobilitate pariter atque dignitate Comitum Palatinum donauit. Naturae debitum soluit A. 1593. Scripta eius litteras elegantiores respicientia non extant. Medici uero labores & plura de eius uita uideantur in Brendelii uita SCHROETERI & Zeumeri uitis Professorum Ienensium.

PETREIVS TIARA, lucem aspexit VVorcumii, urbe Frisiae occidentalis, A. 1514. uel ut alii uolunt 1516. Litterarum fundamenta iecit Harlemii & Louanii, & inprimis graecam linguam excoluit, quam etiam adeo penetrauit, ut illam Professor Duaci, Louanii, Lugduni, cuius Academiae primus Rector fuit, & Franeckerae applaudentibus omnibus doceret. Gradus Doctoris Medicinae in Italia ei attributus est, sed quod Medicinam fecerit non constat. Extant eius uaria uariorum scripta graeca latino idiomate donata, utpote, PLATONIS Sophista, EVRI-

(7) Ohe! Quantos Medicos prisca aluit aetas. Ex hoc enim meo spicilegio tantummodo colligere licet tres, quorum duo Vittembergensem & Ienensem Academiam, illam POLLICHIVS, hanc SCHROETERVS, Rectores earundem primi, inaugurarunt. Tertius est SCHILLINGIVS, quem Ambergensis Gymnasium primum itidem Rectorem habuit.



EVRIPIIDIS Medea, PYTHAGORÆ, PHOCYLIDIS & THEOGNIDIS Sententiae, poema de Nobilitate & Disciplina militari ueterum Frisiorum. Mortuus est TIARA Franeckeræ, 1588. uid. FREHERI Theatr.

IOANNES BAPTISTA ROSARIUS, Philologus & Medicus, e nobili familia de Valdugia Nouaræ in Ducatu Mediolanensi oriundus. Primordia studiorum fecit Mediolani & Patauii. Professionem Eloquentiæ Venetiis ei conceditam per 22. annos cum laude administravit. Cognouerant eruditionem & facundiam ROSARII SIGONIVS, MANVTIVS & MVRETIVS, quare eum inter suos amicos & familiares omnino referebant. Transtulit in latinam linguam Galeni Opera & nonnullos interpretes graecos ARISTOTELIS, GEORGII PACHYMERÆ Epitomen in uniuersam differendi artem, ORIBASII SARDIANI Opera, XENOCRATIS librum de alimento ex aquatilibus animantibus & IOANNIS PHILOPONI Grammatici Explanationem in 4. Libros Physicorum. Obiit 1578. uid. *allgem. Hist. Lex.*

CHRISTOPHORVS SCHILLINGIVS celebris Litterator & Medicus, e Schola Melanchthoniana. Franckensteinium in Silesia patriam agnoscit. Posteaquam per nouem annos ad pedes MELANCHTHONIS federat, uaria itinera fecit. Ex quibus redux uocatus est Rector Hirschbergensis, sed Caluinismo coinquinatus, munere solutus, a FRIDERICO III. Elect. Palatino Gymnasii Ambergensis primus Rector constitutus est, & postea Heidelbergensi Paedagogio praefuit. Cum uero & hic inter ipsum & PISCATOREM acris oriretur controuersia, abiit in Italiam & Galliam, ut ibi studio medico incumberet. Quod ipsi negotium adeo feliciter successit, ut breui post in Monte Pessulano in numerum Doctorum Medicinae reciperetur. Occubuit tandem Physicus Prouincialis Austriae superioris Lintii 1583. Poëmata eius latina & graeca, quorum posteriora elegantissima iudicantur, edita sunt Genuae 1580. uid. MERCKLINI Lindenius Renouatus.

GERARDVS LISTRIVS, Rhena oppido Prouinciae Ultraiectinae oriundus, incunte Seculo xvi. uixit, clarus uariis scriptis de Tropis & Schematibus, de octo Figuris Constructionis, commentatione in Dialecticam

B

PETRI

PETRI HISPANI & Commentario in Encomium Moriae ERASMI, quem ipsimet ERASMO quidam tribuunt.

PAVLLVS GOTTLIEB WERLHOF, Medicus hoc aevo ordinem suum quam maxime ornans. Lucem aspexit Helmstadii A. 1699. Omnes eum studiosum adhuc in Academia patriae litterarum cupidissimum ominabantur uirum per quam doctum. Nec spem fefellit euentus. Exoriebatur tunc Helmstadii societas quaedam conantium, cui statim operam suam addicebat, & ex eiusdem legibus uaria edebat specimina. Praesertim iam dum excelluit in componendis poematibus, quae GOETTENIVS *im ietztlebenden gelehrten Europa*, optat, ut in unum colligerentur fasciculum. Humaniores litteras semper cum studiis, quae ad artem Medicam spectant, coniunxit, quare eo felicioribus sibi promittere poterat progressus in cursu studiorum suorum. Breui enim post cum Doctorum subsellia premeret, ipse docuit alios, id quod, ut maiori fieri posset iure, a Facultate Medica Academiae Iuliae in numerum docentium cooptatus est. Medici aulae Regio-Electoralis characterem insignitus felicioribus indies auspiciis Medicinam Hannoverae facit. Scripta eius erudita recenset GOETTENIVS *im ietztlebenden gelehrten Europa*.

En VIR MAXIME REVERENDE, spicilegii mei fasciculum alterum ex Historia Litteraria collectum. Sed nunc demum rebus confectis mihi ipsimet quasi obitio, quod institutum hoc meum iam minus opportuna occasione continuauerim. Alloquor enim TE, AFFINIS HONORATISSIME, dum in solemni panegyri Vittembergae summis, quos habet Facultas huius Academiae Theologica, honoribus ornandus es. Magis itaque idoneum negotium hoc tempore peregrisse mihi uideor, si Theologos bonarum artium Vindices aliquot recensuissim, quorum in Germania nostra tantum Secula duo proxima cum dimidio huius fertilissima omnino sunt. Sed cum uitio cuilibet uertatur, multa inchoare, nihil uero perficere,occoepto. Spicilegio meo protinus inhaesi, nullus dubitans, quin etiam TIBI, bonarum artium ab ineunte aetate indefesso sectatori, Vindices hi nostri, quamuis non ordinis TVI, sed Medici, arrideant. Ne uero tam largam messem Theologorum, ob culturam elegantiorum litterarum celebriorum, spectator prorsus otiosus,

fus, praeteream, liceat mihi Trifolium illorum huic meo fasciculo addere.

Si, quantum emolumentum a Doctoribus solius Academiae Vittembergenfis, una cum instauratione Sacrorum, ad statum Reipublicae litterariae redundarit, expendo, accepti quidem beneficii admiratione sic abripior, ut, quid primum a me intelligi, aut sollicitè attendi, uel denique laudibus in coelum euehi debeat, plane ignorem. Quanta enim sub Papatu ignorantia mentes occuparit, quanta corruptio elegantiores litteras infecerit, & quanta miseria uniuersum orbem litteratum aequè ac politicum inuasit, uix quisquam dicendo scribendoque assequi poterit. Misertus uero tandem Deus populi sui, excitauit in illa Musarum sede Viros, omni opera atque felici cum auspicio in id enitentes, ut nitor bonis litteris iterum restitueretur. Egressi sunt enim e Vittembergæ tot & tanti eruditi optimis artibus perpolitæ, quot & quanti milites fortissimi ex aequo Troiano olim prodibant, adeo, ut uniuersa fere Germania Doctores & litterarum humaniorum uindices huic Academiae debeat. Primus statim Rector Vittembergenfis MARTINVS POLLICHIVS MELLERSTADIVS uir erat optimis excultus studiis. Colebat enim eundem aetas sua & Medicinae Doctorem, quam ob rem a Cel. BYRCKHARDO in numerum Medicorum eruditorum omnino receptus, multisque elogiis donatus legitur. POLLICHIO Rectori adiicere PHILIPPVM MELANCHTHONEM, communem Germaniae Praeceptorem. Nec post illum defuerunt cultores litterarum eximii, qui Vittembergam ornauerunt. Quem enim latent merita FRIDERICI TAUBMANNI? Cui ignota sunt praeclare facta AVGVSTI BVCHNERI, & quis nescit CONR. SAM. SCHVRTZ-FLEISCHIVM, qui hac nostra aetate uixit & adhuc uiuit in discipulis suis, ex quorum numero eruditione & facundia celeberrimi Daumuiiri, IO. FRANCISCVS BVDEVS & GOTTLIEB VVERNSDORFIVS principes facile fuerunt.

Atque iidem hi Daumuiiri sunt illi Doctores eximii, a quibus ex multis & TV, AFFINIS SVSPICIENDE, doctrinam coelestem optimis litteris illustratam excultamque accepisti. Quid igitur impedit, quo minus TE illis associem, & ita TIBI Trifolium Theologorum humanitatis studiorum maxime Vindicum, ex arboreto litterario decerptum, exhibeam.

Praeant itaque secundum Epochas suas BYDDEVS atque VVERNS-DORFIVS, & aemulus eorundem sequatur DISCIPVLVS.

IO. FRANCISCVS BYDDEVS, Theologiae Doctor & Professor Academiae Ienensis, ordinis sui primarius, a cuius natalibus ut pro more ordiar, Anclami in Pomeranis A. 1667. vii. Cal. Iun. lucem hau-  
fit. Patrem ibi sortitus Franciscum Buddeum, Pastorem huius urbis ad Aedem St. Nicolai & Synodi Ecclesiasticae, quae ibidem est, Prae-  
positum. In Scholis probe instructus, iisdem 1685. ualedixit, & Vit-  
tembergam se contulit, ubi Philosophorum ordini per triennium se  
adeo probauit, ut ipsum laurea exornarent, atque ordinis sui Assessoribus tandem adscriberent. Vfus est Vittembergae contubernio &  
consiliis IO. GEORGII NEVMANNI, Theologi posthac Vittemb. celeberrimi, cum quo Lectiones Theologorum discendi admodum cupi-  
dus quotidie frequentauit. Inprimis autem sedulus Scholis interfuit  
SCHVRTZFLEISCHII, cui soli stilum exercitatum & fluidum, quo  
Scripta Buddeana nitescunt, acceptum refert. De humanitatis studiis  
postea ipse Doctor eorundem optime promeritus est. Sustinuit enim,  
magno cum applausu, munus Professoris graecae & latinae linguae in  
Gymnasio Coburgensi & scriptis quoque haud paucis litteris elegan-  
tioribus illustrandis operam nauauit. Edidit scilicet Criticae artis Elogi-  
um seu Praefationem GOTHOFREDI RICHTERI specimini obserua-  
tionum criticarum in uarios *Auctores* graecos & latinos praemissam,  
Ienae 1713. in 8. Orationem de bonarum litterarum decremento no-  
stra aetate non temere metuendo, 1714. Praefationibus commenda-  
uit IO. MATTH. GESNERI Institutiones rei scholasticae, 1715. &  
AVGVSTINI GRISCHOVII Introductionem ad Philologiam genera-  
lem, eod. Ao. Praeceptor fuit multorum discipulorum, grauissimis iam  
muneribus per totam Germaniam admotorum. Labores in re Theo-  
logica & Historica exantlauit eruditissimos, & praecipue scriptis ad Hi-  
storiam spectantibus se eruditis ualde probauit, indeque magnum sibi  
comparauit nomen. Catalogus singulorum BYDDEI scriptorum cum  
ipsius Auctoris Annotationibus extat sub Tir: Notitia Dissertat. & alio-  
rum scriptorum a IO. FR. BYDDEO aut eius auspiciis editorum Ienae  
1718. in 8. cuius Editio iv. ad manus est. Diem supremum obiit hic  
celebris Theologus Gothae 1729. xiii. Cal. Dec.

GOTT-

GOTTLIEB WERNSDORFIVS, Doctor Theologus in Academia ad Albim primarius, Euangelicae ueritatis & artium assertor tantus, quantus huius & prioris Seculi nemo alius. Natus A. 1668. V. Cal. Martias Schoeneualdae, oppido Saxoniae, patre IO. NIC. WERNSDORFIO, diuini in patria coetus sacerdote, a quo, ut & ab aliis, quorum fidei concreditus fuit, institutus, accessit Ludum litterarium Torgauensem. Triennio ibi absoluto salutauit Vittembergam, ubi praecipue Lectionibus MICHAELIS VVALTHERI, Theologi consummatissimi, & CONRADI SAMVELIS SCHVRTZFLEISCHII, Polyhistoris egregii, indefesso studio adhaerens, ex prioribus Theologus didacticus post Lutherum sine exemplo euasit, ex posterioribus uero ornatu politioris omnis humanitatis & Historiae, maxime sanctioris, notitia instructus est. Inde stili cultioris latini optimus artifex factus, adeo, ut, quando scriberet uitas, NEPOTIS, quando Historiam, CAESARIS, quando doceret Auditores, TERENTII, & quando Orator existeret, CICERONIS genus scribendi felicissime exprimeret. Cuius rei exempla, si quis desideret, adeat quae scripta eius, quamuis haud magnae molis, omnia tamen & singula oppido elegantissima ac plurima, Historici potissimum & Theologici argumenti, quae tribus uoluminibus comprehensa, sistere iam adnuitur Summe Venerandus ZEIBICHIVS, meritorum VVernsdorfianorum Vindex praestantissimus. Facundia oris & praestantia doctrinae WERNSDORFII tanta erat, ut plures ideo Auditores e longe diffitis regionibus Sueciae, Daniae, Hungariae & Transsylvaniae sibi conciliaret, & saepius studiosos Vittembergam peragrantes, aliamque Academiam petentes, teneret, ut mutato statim consilio, Vittembergae pedem figerent, eiusque Lectiones per aliquot annos in deliciis haberent. Instituit VVERNSDORFIVS aliquando in humanitatis studiis Fratres natu minores Venerandi Patris mei aequae ac SAM. BENED. CARPZOVII Antistitis in Aula Sax. prim. filios. Graecas litteras ualde amabat, ideoque Patrum monumenta idiome graeco conscripta summo studio scrutatus est, ita, ut proleptiore etiamnum aetate prolixiora loca eorundem memoria teneret, & saepius in admirationem Auditorum suorum in medium proferret. Ne autem in descriptione meritorum magni huius uiri, qui laudibus meis longo superior est, praeter institutum meum multus sim, addo tantummodo elogium amplissimum Cel. AVGVSTINI LEYSERI, Iuris consulti, dum hoc scriberet, Helmstädiensis, nunc Vittembergensis primarii, qui

de VVERNSDORFIO, licet eum confutaturus, sic sentit: *Vir hic uere magnus est, & siue acumen & flumen ingenii, siue Antiquitatum & Historiarum S. notitiam, siue suauitatem eloquii, siue nitorem stili spectes, parem hodie inter Theologos Euangelicos non habet. Multum ille etiam ab exteris, quin imo ab his fere magis, quam ab indigenis suis aestimatur, & nostrae quoque aulae eruditionem eius & iudicium magni faciunt.* Adeatur LEYSERI Praefat. Medidat. de Assentationibus ICTorum, quae Helmstadii 1727. prodiit. Encomiis itidem exquisitissimis impertitur VVERNSDORFIVM nostrum illustris BERGERVS, in duobus programmatibus, quae Epicediis in memoriam huius B. Theologi conscriptis numero plurimis addita leguntur. Plura de VVERNSDORFII meritis dabit IO. CHRISTOPH. COLERI Commentatio pecul. de iisdem Vittemb. 1719. edita. Mortuus est quidem VVERNSDORFIVS Cal. Quintil. A. 1729. lugente eius irreparabilem iacturam semper Academia, sed uiuit adhuc in scriptis & filii, tanti patris uestigiis strenue inhaerentibus.

THEODORVS CRVGERVS, introiuit in uitam Sedeni ad Viadrum in Pomeranis A. 1694. xvii. Cal. Ian. Patrem habuit SAMVELEM CRVGERVM, mercatorem apud Sedinenses primarium, caput societatis suae ac Syndicum. In schola pariter atque Gymnasio Sedeniensi a praestantissimis, quos habuit uterque ludus litterarius, praeceptoribus bonis litteris imbutus, uenit Ienam & ibidem Cel. Viri IO. FRANC. BYDDEI, DANZII & GRISCHOVII, aliorumque scholis usus est. Inprimis autem multum debet BYDDEO, quem non modo popularem ac ciuem, sed etiam affinem & necessarium habuit, ideoque ab eo, simulac Ienam accederet, in hospitium & in numerum eorum, qui ipsum intra uela audirent, receptus est. Non minora sunt DANZII & RVSSII versus ipsum merita, a quibus Linguae Orientales tantum non omnes (nam & Samaritanam attigit) accepit. Ex uoluntate patris Iena postea abiit Halas, ut, si qua uel ad elegantiam sermonis, uel ornamenta litterarum, uel Historiae culturam deessent, eadem adiceret & suppleret. Tandem Vittembergam accessit, ubi, ut Ienae BYDDEVM, sic in hac musarum sede principem Doctorem VVERNSDORFIVM, hospitem & praeceptorem benignum obtinuit. Cum itaque & hac in Academia cursum studiorum suorum sedulus continuaret, agnoscens Ordo Philosophorum industriam CRVGERI tradidit ei gradum  
artium

artium Magistri, quem ut eo magis tueretur & ornaret, ipse docere incepit, sed uix inceptas abrumpere necesse habebat lectiones suas, cum fato quodam propitio a Generosissimo ZECHIO, Potentissimi Sarmat. Regis & Elect. Sax. Ministro status intimo Dresdam auocaretur, ut filium Generosissimum artibus imbueret. Quo munere, cum per aliquot annos non sine laude fungeretur, in locum surrogatus HECHTII, discipuli illius SCHVRTZFLEISCHIANI, Scholae Luccauiensis Rectoris spartam obtinuit, qua publice bonas litteras docere ipsi iniunctum erat. Quanta Luccauiae opera studuerit humaniores litteras promouere, norunt multi ipsius tunc Auditores, & satis superque restantur scripta CRVGERI, ab eo Luccauiae maximam partem edita. Cum erudito enim orbe ibi communicauit Prodromum Annalium Luccauiensium, Origines Lusatae, stilo terso & eruditis admodum probato scriptas, complectentes Historiam GERONIS, primi Lusatae Inferioris Marchionis, aliaque plura memorabilia ad Antiquitates sacras & profanas, itemque ad illustrationem Seculi cum primis decimi factura. Chemnicensium iam constitutus Antistes, omni cura in id incumbit, ut studia humanitatis in schola incluta, cuius Ephorus est, indies maiora sumant incrementa. Plura de CRVGERI uita & eruditis laboribus suppeditantur in Programmate a B. VVERNSDORFIO 1729. conscripto, cum ille Licentiam summos in Theologia capessendi honores peteret & acciperet, quo sane nihil elegantius unquam scribi tradiue potest.

Ignoscas, VIR MAXIME REVERENDE, calamo, qui leui admodum scripturae genere tantorum Virorum & TVI ipsius merita quodammodo adumbrare atque saltem enumerare ausus est. Cum enim & TE habeamus humanitatis studiorum praeclarum Vindicem, adeoque discipulum, exquisitissimis Praeceptoribus consimilem, non potui non de studiis TVIS, quibus rem litterariam adiunxisti & ornasti, pauca quidem commemorare. Praesertim cum iam id agatur, ut uestigia Doctorum TVORVM magis magisque premens, summos in Theologia honores capessas, & ab Ordine Theologorum Vittembergensium summe Venerabili Vindex purioris doctrinae creeris.

Recoluimus, Deo propitio, nuper demum xiii. Cal. Martii memoriam Articulorum, qui bina ante Secula Smalcaldiae a LVTHERO  
forti

9A  
Tn  
7070  
X 3437176  
1018  
16 THEOLOGI STVDIORVM HVMANITATIS VINDICES.

forti animo conscripti, Theologorum subscriptione obsignati, & in numerum Librorum Symbolicorum nostratis Ecclesiae recepti sunt. Intrepidum animum, quem THEANDER in hisce a se compositis Articulis pariter atque in rebus omnibus aduersis palam fecit, ex eo praecipue obfirmatum habuit, quod Doctor Ecclesiae & Minister uerbi sit rite uocatus. (9) Auspice Deo, utroque iure nunc & TV, AFFINIS HONORATISSIME, gaudes. Imitare itaque LVTHERVVM in VVERNSDORFIO TVO olim rediuuium, & recte faciendo neminem timeas. Quem enim in causa Dei habemus, ut timeamus, nisi ipsum Deum? Cuius auxilium ego TIBI munus Doctoris Theologi grauissimum capienti ardentibus apprecor uotis. Redde nobis BVDDEVM, Doctorem auctoritate, VVERNSDORFIVM, Theologum heroico animo conspicuum, & habebis me discipulum TIBI nullo non tempore addictissimum.

(9) Innixus enim LVTHERVS magna cum confidentia prouincia sua Doctoris & Ministri Ecclesiae ait: Ich habe es offte gesagt, und sage es noch, ich wolte nicht der Welt Gut nehmen für mein Doctorat. Denn ich müste warlich zulezt verzagen und verzweifeln in der grossen schweren Sachen, so auf mir liegt, wo ich sie als ein Schleicher, ohne Veruff und Befehl angefangen. Aber nun muß GOTT und alle Welt mir zeugen, daß ichs in meinem Doctorat - Amt und Predigt - Amt öffentlich, und biß daher geführt mit GOTTes Gnade und Hülffe. Quem locum & similes plures ex Tom. V. germ. Ien. fol. 492 fac. I. citat NICOLAVS HVNIVS im noch nie refutirten Beweiß, daß D. Luther zur Reformation von GOTT beruffen sey. p. 137. ex editione Venerandi Parentis.



ni





18.

MEDICI  
INSIGNES  
HUMANITATIS STUDIORVM  
VINDICES

---

QVORVM DECADEM ALTERAM  
VNA CVM  
TRIGA THEOLOGORVM CELEBRIVM  
VINDICVM HUMANITATIS PARITER EXIMIORVM  
EXHIBET  
AFFINI SVO HONORATISSIMO  
VIRO MAXIME REVERENDO  
THEODORO CRÜGERO  
CHEMNICENSIVM SVPERINTENDENTI  
VIGILANTISSIMO  
DOCTORIS THEOLOGI GRADVM  
IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
ASCENDENTI  
ACCLAMANS  
VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS IVN  
LITTERAR, HVMAN. STVD

---

DRESDAE D. V. IDVVM APRILIS A. R. S. CIO IO CC XXXVII

---

PRELO HARPETERIANO

